



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

3. Am donatio inter coniuges morte civili confirmetur, sicuti confirmatur
morte naturali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

reus defunctum euidenter reuocasse voluntatem. At ea reuocatio confessionis dotis potest intelligi de dote debita, & que inuit legitimum ascendendum, vel descendendum, & creditoribus preiudicat, non de dote indebita, & animo donandi confessa.

Ceterum verius censetur euidenter donationem reuocari casu quo confessio dotis induxit donationem, nam si ea confessio praesumitur facta non de dote debita, & spe numerationis, sed ob titulum donationis, cur negatio huius confessionis non inducit donationis reuocationem, cum reuocet, & annullat causam ex qua donatio inducitur. Fateor namque negationem dotis receptae intelligi posse de dote debita, & non de indebita, sed id verum est cum non cadit super confessionem dotis, que donationem induxit.

- 12 Secunda difficultas, an donationem censetur reuocasse cum in testamento, seu codicillo donatario legas quod ei in vita donaueras: Nam vt recte aduertit Sanch. d. disp. 17. n. 5. plurimum refert donatario rem habere ex donatione potius quam ex legato, cum habita ex donatione fructus illius in vita donantis. collectos percipiat, neque requirat esse aditam hereditatem, vt illius rei dominium & possessionem obtineat, quod secus est in legatis saltem iure communi inspecto. Qua in re placet distinctio Sanch. lib. 6. de matr. disp. 15. n. 8. & 9. si verbis vtaris non importantibus legatum, aut fideicommissum, vt si diceres confirmo donationem meae vxori factam; habet vxor mea quidquid illi in vita donauit. Si donatio confirmari potest, qui non excedit summam 500. solidorum censenda est in vim donationis confirmata. leg. ex verbis Cod. de donat. inter vir. & vxor. Si autem non est capax confirmationis, quia praedictam summam excedit, & non fuit apud iudicem insinuata confirmatur in vim legati, iuxta leg. donationes quas parentes. Cod. eodem tit. Quod si verbis indicantibus legatum, seu fideicommissum vtaris, esto videaris recedere a priore donatione, & velle donatarium habere rem donatam non vt donatam, sed vt legatum: at credo ex duplici via te velle donatarium habere. Non enim legando donatum censetur donationis factae praerogative sed donationi factae legatum adicere, vt si forsan vt donatio non subsistat, vim tamen legati obtineat, maxime cum indubitarum sit fructus in vita donantis perceptos donatario competere ex leg. cum pater §. pater filia ff. de legatis.
- 13 Quarta conditio est insinuata apud iudicem quae requiritur non pro quacunque donatione, sed pro donatione excedente 500. solidos. Nam haec etiam inter coniuges non confirmatur morte quoad excessum inquam, vt superius ex expressa decisione leg. donationes quas parentes Cod. de donat. inter vir. & vx.

§ III.

An donatio inter coniuges morte ciuili confirmetur, sicuti confirmatur morte naturali?

- 1 Duplex est mors ciuilis.
- 2 Morte ciuili, de portationis, &c. confirmatur donatio mariti comparatione fisci.
- 3 Qualiter professione Religionis donatio firmatur?

DE duplici morte ciuili sermo esse potest. Altera est exilium, de portatio, aliaue penatione cuius bona damnati fisco occupat. Altera est Religionis professio.

Quoad primam mortem ciuilem attinet, si donatio processerit a marito in vxorem ea ciuili morte confirmatur comparatione fisci, ita vt fisco donatum repetere non possit, at comparatione vxoris non confirmatur plene & perfecte, cum possit a marito reuocari. Quia ratione facta non competit donatum fisco vt potest quod tempore confiscationis non erat in bonis damnati, sed competit ipsi damnato. Colligitur ex leg. sed si mors ff. de donat. inter vir. & vxor. vbi hoc expresse deciditur de donatione causa mortis, cum autem donatio inter coniuges huic donationi aequiparetur, idem de ipsa est iudicandum, & probat leg. res vxoris Cod. de donat. inter vir. & vxor. Sicuti tradunt Couar. Rub. de de testamen. 3. p. numer. 1. & seq. Gregor. Lopez. leg. 4. verbo in su videri tit. 11. part. 4. Mol. tractat. 2. de iustit. disp. 288. §. donatio causa mortis, & disp. 289. §. disp. precedenti. Sanch. lib. 6. de matr. disp. 17. n. 3.

Notanter dixi si donatio processerit a marito. Nam si donatio processerit ab vxore in maritum, & ipsa vxor confiscatione bonorum damnetur, donatio ipsius facta marito hac morte ciuili non firmatur, sed euascescit, quia hoc privilegium in fauorem vxoris factum est, vt constat ex illis verbis d. leg. res vxoris, ibi & donatio maritalis ante tempus criminis ac reatus collata in vxorem, quia puicitia premio esse obseruanda sit: tanquam si maritum eius natura non pena subduxerit. Sic Molin. d. disp. 289. §. dispensatione precedenti. Sanch. disp. 17. n. 6.

Quoad secundam mortem ciuilem scilicet professionem religionis etiam qui quorum meminit Sanch. d. disp. 17. n. 7. censent non firmari donationem inter coniuges, sed expectandam esse mortem naturalem donantis. Alij vero censent professionem religionis confirmari, si donatio fuerit facta ante matrimonium

consummatum, quia eo casu dissoluitur matrimonium, cuius dissolutionem videtur dicta lex res vxoris Cod. de donat. inter vir. & vxor. ex gere ad eius firmitatem. Secus vero post matrimonium consummatum, quo casu matrimonium non dissoluitur. Verus est quod tradit Sanch. d. n. 6. si possessio facta sit in religio: ne incipit succedendi, habendique bona etiam in communi, vt est religio Minorum, & Capucinum ipsa professione firmari, partem quia matrimonium quoad effectum, & communiu habitationem dissoluitur, partim quia neque ipse donans, neque religio ipsum repraesentans ea bona retinere potest, ac promde tantum naturaliter mortuus reputandus est. At quando professio facta est in religione capaci succedendi, cum ibi religio religiosum repraesentans bona illius succedat non est locus concedendi firmitatem, ideoque poterit religiosus interim dum viuat donationem reuocare. Cui non obest quod testamentum reuocare possit. Nam vt recte inquit Sanch. d. disp. 17. in fine, ad reuocationem testamenti opus est potentia aliud testamentum aequo perfectum constituendi. leg. si iure ff. de legation. 2. & §. posteriori instituit. quibus modis testamentum. Donatio vero inter coniuges, & causa mortis, contraria tantum voluntate reuocatur. Vnde de his diximus. tractat. 16. de religio statu disp. 14. & seq.

§. IV.

An haec donatio inter coniuges ita morte confirmetur, vt rei donatae dominium, & fructus donatario competant, ab eo die quo donatio facta est. Et eadem quaestio est de donatione patris ad filium?

- 1 Nec dominium, nec fructus donatario competunt, quousque rei donatae traditio intercedat.
- 2 A die traditionis concedi dominium plures affirmant.
- 3 Tenenda esset praedicta sententia nisi contraria foret communis.
- 4 Concedenda est retrotractio quoad fructus.
- 5 Et licet dissentiant Doctores qui fructus intelliguntur ex rebus intelligi debere naturales.
- 6 Donatore reuocante donationem obligatur donatarius rebus restituere.

Conueniunt omnes nec dominium, nec fructus donatario competere, quousque rei donatae traditio intercedat. Nam deficiente hac traditione incapax est donatio obtinendi morte donantis firmitatem, & consequenter transferendi dominium, & fructus in donatarium.

Quod vero a die traditionis donatario acquiratur rei donatae dominium, & consequenter illius fructus, tametsi reuocabilitate, vt alij dicunt ad illud tempus retrotrahatur donatio cum morte donantis confirmatur, docet iur. Cicil. in leg. sequens §. ff. de legatis 2. & in leg. ff. sub conditione ff. de solutione Actum. in leg. scriptura. ff. de legatis. 1. Immo Angel. Iason, Couar. Rinus, Sebastian Mailla, in leg. si is qui pro tempore ff. de officio, quos refert, & sequitur Fachin. lib. 3. controuers. cap. 1. & videtur tenere Mol. lib. 1. de primogen. cap. 112. n. 12. & §. ff. specialiter. n. 15. Praecipuum fundamentum sumitur ex leg. donationes quas parentes. Cod. de donat. inter vir. & vxor. vbi absolute inquit Textus. Si vero vel non amplius sit donatio vel cum amplior sit in actis insinuata sit, tunc et si uentum donatarius, vel donatarius et specialis confirmatio ad illud tempus retrotrahatur, quo donatio conscripta sit, et sicut alias rationibus negotiorum gestorum ad illa reduci tempora oportet in quibus contracta sunt. Et ce qualiter Textus retrotrahat donationem confirmationem ad tempus quo donatio conscripta fuit. Cum ergo proprius donationis effectus sit dominij rei donatae traditio in donatarium, quia donatio est doni datio, leg. Senatus. §. de off. ff. de donationib. consequens est vt ab eo puncto quo donatio facta per rei traditionem conscripta censetur rei donatae dominium in donatarium transferatur. Ideoque confirmat exemplum in iustificationis quo lex vitur. Ratiobus enim hic retrotrahit donationem, vt illius dominium, & fructus fatigantur rem acquisita.

Pratererea probatur ex leg. sponfus in fine. ff. de donat. inter vir. & vx. vbi deciditur donatarium ex donatione reuocata, seu morte non confirmata obligatum tantum esse restituere ad tempus quo ex donatione diuor fuerit, nam in alio donatio valet. Vnde pluribus comprobatur Sanch. disp. 1. n. 3. At si donatarius dominium rei donatae non acquisisset obligationem haberet restituendi rem donatam donatione reuocata, si inuoluit expendisse vt potest contra voluntatem donantis absumptam. Quinimo nec potest illum expendere vt potest non Dominus, sed expectare debere creditum maritum euentum Item lex, donationes y. a parentibus, & lex ff. sponfus. statuens donationem retrotrahi ad tempus quo facta fuit, absolute afferunt donationem retrotrahi Etgo haec reuocatur